



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CLXI. De Expugnatione duorum castrorum quorundam Feodatariorum  
Terrae Colmensis, scilicet Hemsol & alterius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

Hanno de Sangerhausen. VII Mag. Gen. Ord. Teut.  
Conradus de Tierburg IX. Mag. Provinc. in Prussia.

blasphemо accidit sicut Heliodoro, qui cum vellet in templo di-  
vinum ærarium deprædari, occisus à DEO concidit in terram,  
& quī cum multis consortibus & satellitib⁹ ingressus fuit, nullo  
sibi auxilium ferente, in sella gestatoria portabatur.

## ANIMADVERSIO.

(a) Alii Kropff, alii Kopff.

## CAPUT CLXI.

De

*Expugnatione duorum castrorum quo-  
rundam Feodatariorum Terra Colmensis,  
scilicet Hemsoth & alterius.*

POstremo (a) Scumandus Sudovitarum Capitaneus cum maximo exercitu Sudovitarum & Pruthenorum terram Colmensem IX. diebus rapinā & incendio vexavit. Infra quos IX. dies dum appropinquare cœpit Civitati Colmensi, quidam miles de Polonia dictus (b) Ninerik prædictam civitatem intravit, quam ipse miles promisit se ad manus dicti Scumandi traditurum. Unde dum visis hostibus cives mœnia ascenderent, ascendit & iste, sicut idem traditor dedit ei signum, sic una & alteravice sufflavit cornu suum, quō auditō cives perterriti dictum militem ceperunt, & comperto, quod voluit eos trahere, ipsum & filium suum cum uno famulo ante portam civitatis suspenderunt. Scumandus videns se deceptum, processit ad castrum (c) Hemsoth & ipsum potenter expugnavit, & XL. viros qui ad custodiā ejus deputati fuerant interfecit. Deinde castrum alterius feodarii militis, dicti (d) Cippel, potenter & hostiliter intravit, & occisis & captis omnibus initi existebibus, utrumque castrum in cineres est conversum.

1i 3

ANI-



*Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. in Prusia.*

## ANIMADVERSIO.

- (a) Alii legunt Stumandus ex consveta confusione literarum t. & c. ut dudum jam notavimus, legendum tamen esse Scumand non Stumand docet Jeroschinus, qui expresse scribit Skumand.
- (b) Codex Thoruniensis legit Niverik, addit tamen ab alii eum vocari WINRIK Jeroschinus quoque legit Nyverick.
- (c) Alii legunt Heymsvht.
- (d) Idem Codex Thoruniensis habet Zippel. Jeroschinus, Zippesill.

## CAP. CLXII.

De

*Malitia Pruthenorum scientium lingua Teuthonicam.*

**H**Enricus (a) Monte Capitaneus Nattangiorum, & multi  
alii Prutheni, qui à pueritia nutriti fuerant circa fratres  
multa mala fecerunt tempore persecutionis hujus Populo Christiano, quia s̄apissimè hoc accidit, quod quando exercitus infidelium  
pertransiit terminos fratrum, populus Christianus, qui ad  
castra configere non poterat, insylvis, rubetis & paludibus se  
occultavit, quod sentiens Henricus prædictus, assumptis sibi  
pluribus armigeris, accessit ad ea loca, ubi talia præsumebat, &  
habens verba pacifica in dolo ait voce Teutonica: si quis latitat  
hic exeat sine timore, quia exercitus infidelium jam recessit:  
cujus verbis dum fidem adhibendo exirent, ipse cum suis irruens  
in ipsos omnes cœperat vel occidit.

## ANIADMVERSIO.

- (a) Henrici nomen ante hac in baptismo assumferat Vid. Henneberg.  
pag. 13.

CAP.